

Complet. en m. año de 1633. J



TRACTATUS  
DE PRIVILEGIIS  
IVRAMENTI  
amplissimus,

OMNIBVS LEGVM STUDIO SIS  
*Maxime utilis & necessarius,*

Nouiter editus

PER SERAPHINVM DE SERAPHINIS  
Iurisconsultum Senensem.

*Cum Indice locupletissimo precipuarum rerum, qua in ipso tractantur, alphabeti  
ordine digesto, ac nomenclatura Privilegiorum.*

DE SUPERIORVM LICENTIA.



do  
Aluarez Greg  
Alvarez



AVGVSTAE TAVRINORVM.

Apud Io. Baptistam Beuilaquam. 1589.

# SERENISSIMO

FRANCISCO MEDICI

MAGNO DUCTHETVRIAE II.

SERAPHINVS DE SERAPHINIS F. P.



Superioribus annis, Serenissime idemq. maxime Princeps, cum apud aliquos, in Lucano agro Episcopos, Vicarij munere fungerer; saepe coram me, inter discretos causarum patronos, contigit de virtute ac praestantia Iuramenti disputare. quod ita me delectauit vehementer, vt cum de illo tunc Priuilegia (sic enim nunc loquimur) in vnum colligere, scriptisq. mandare instituissem, librum a me confectum, tractatione ipsa dignissimum comperi: quē postea cum Iuris ciuilibus prudētia & cognitione, viris clarissimis legēdum praebuissem, vt ex illis, si aliqua ex parte probari posset, intelligerem, ijdem quasi vtraq. manu ad astra tollebant. Sed & cum elapso proxime ab hinc anno, Florentiam tuam, omnium ciuitatū pulcherrimam, concessissem, accidit, vt cum Dominico Bontio insigni iuriconsulto, tuiq. amplissimi ordinis Equitum S. Stephani meritissimo Auditore, de illius argumento sermonem haberem, qui laborē hunc meum vtilem fore legum studiosis, constantissime affirmabat; atque deinde subiiciebat, & hortabatur, (etsi propensus mea sponte ad id videbar) vt librum cū tui nominis inscriptione diuulgarem: quod ego tamen facere reluctabar; tum quia de hac mea tenui vigilia non tantum audebam, vt te Principe omnium sapientissimo atq. iustissimo digna videretur; tum vero, quia stultum quasi, atq. arrogans existimabā qualecumq; opus esset, nuncupare ei Principi, qui per se ingenio ac prudentia caeteris omnibus praestaret, & in ditone sua homines haberet, in omni scientiarū genere versatos; & in legali quidē Philosophia primarios, a quibus longe maiora in dies praestaretur. Vicit nihilominus tanti Iuriconsulti auctoritas, & constans humanitatis tuae assue-ratio, qua omnes litteratū, aliarumq; bonarū artium professores amplecteris fouesq;. Librum itaq. hunc meum, de Priuilegijs iuramenti differentem, alaeri studio elaboratum, tibi, Dux maxime, confecto, vt ex tenui munere voluntatem in te meam, studiumq; perspicias; & obscura per se ipsa lucubratio, summo tui nominis ornamento illustretur. Cupio nunc impetrare à Benignitate tua, vt qualecumq; argumētum obseruantiae in te meae non modo nō despicias, sed aequi boniq; consulere non dedigneris. quod si cōsequar, caelum, vt est trita Parharmia, digito tangam, & labores meos vberissimo compensatos esse fructu existimabo.

# TRACTATUS AMPLISSIMVS

DE PRIVILEGIIS IVRAMENTI

D. SERAPHINI DE SERAPHINIS

IURISCONSULTI SENENSIS.

## S Y M M A R I V M

### Praefationis.

- 1 Futurorum nulla est determinata veritas.
- 2 Iuramentum assertorium ab initio dicitur verum, vel falsum.
- 3 Iuramentum assertorium duplex, iudiciale, scilicet, & extrajudiciale.
- 4 Iuramentum promissorium quid, item &
- 5 Iuramentum confirmatorium.
- 6 Iuramentum confirmatorium confirmat omne, quod est confirmabile.

## P R A E F A T I O.

**M**agna semper fuit apud omnes vbi que gentes; maxima autem apud Cristicolae religio iurisdictioni: cuius causa cum veteres iureconsulti, tum Iust. Imperator, ac Summi denique Pontifices multa contra communes vtriusque juris regulas censuerunt, quae a nostris privilegia nuncupantur; de quibus Doctores quidam varijs in locis, nec de omnibus quidem, sed de paucis, iccirco penitus ac imperfecte tractauerunt. quod ipse animaduertens operae pretium me facturum existimaui, ea maiori diligentia, & cura perquirere, tanquam vsui quotidiano maxime necessaria; & perquisita deinde, ac plenius disputata in hunc libellum redi-

gere, exemplo clarissimorum iuris interpretum, qui de privilegijs Doctorum, atque Scolarum, de privilegijs Fiscis, alimentorum, Dotis, Paupertatis, Pix causae de alijs id genus conscripserunt: non ut putarem me illorum eruditissima scripta posse adaequare: noui enim iam dudum tenuitatem ingenii viri iuniorum mearum: sed ut laborem ea inuestigandi legum studio dumtaxat eriperem, simulque his nostris meliora lucubrationibus cogitandi ansam praerberem. quae ipsa si assequutus fuero, Deo Optimo Maximo semper accepta habebos; si minus, meae saltem propensae voluntatis, atque erga illos studij non penitebit. De privilegijs ergo iuramenti initium facturum;

Primito breuiter ad faciliorem pleniorumque tractationis vniuersae intelligentiam; ex quo de pluribus iuramentis nos agere oportet; tria esse genera principalia iuramenti, scilicet, Iuramentum assertorium, Iuramentum promissorium, Iuramentum confirmatorium. Iuramentum assertorium est, vbi cum quis iureiurando asserit, aliquid esse de praesenti, vel fuisse de praeterito; quia asserere aliquid de futuro esset temerarium: cum iuxta vulgatum dictum ¶ De futuris contingentibus non sit determinata veritas, vt Arist. inquit in Periarum. & in rhetori. & facit tex. cum Glo. in §. sub conditione. Insti. de verb. obli. & tex. in l. si putator, ad leg. aquil. & in c. 1. vt ecclesi. benef. & habetur per Corn. in confi.

A

in confi.